

tes uti videatur, tamen gravissime indignatur, quod Euthyphro vulgaribus de diis opinionibus adeo inhaerescat, ut omnes fabulas de iis commenticias credat esse veras. Hoc enim fere modo eum disputantem nobis audire videmur: Non miror, quod impie agitis, si impios creditis esse deos; nam homines ad similitudinem deorum sese conformare solent. At ridiculum est credere Jovem vinxisse patrem, ridiculum Chronum patrem exsecuisse, ridiculum bella geri inter deos certaminaque esse inter eos et controversias et invidias vehementissimas, ridiculum ea omnia credere, quae et poetae et pictores reliquique artifices finxerunt (cf. p. 6 A—C). Maximopere dolendum est, quod poetae nostri et ceteri artifices, qui vates et praecones debebant esse veri, dulcedine artis suae animos adeo deliniverunt et permulserunt, ut jam omnes falsis illis ac superstitiosis de diis opinionibus ridiculisque fabulis teneantur. Praeterea qui tandem potestis putare deos inter se dissentire aliisque alia placere? Dissentiant homines, quid sit justum, quid injustum, quid bonum, quid malum, quid honestum, quid turpe; at deos, si vere sunt, cogitari nullo modo potest his de rebus dissentire; nam prima deorum virtus debet esse bonitas, quae eadem est justitia et honestas (cf. Protag. p. 328 C seqq.). [Falsam esse opinionem, qua dii inter se dissentire de vi virtutum credantur, ut jam supra exposuimus, εἴπερ στασιάζουσι locutione ter repetita et verbis tantum variata gravissime indicavit nec minus iis locutionibus, quibus Plato uti solet, quum Euthyphronem errare exprimere vult: κατὰ τὸν σὸν λόγον p. 7 E, ὡς σὸ φῆς p. 7 E, ὡς ὁ σὸς λόγος p. 8 D (cf. p. 10 D et ὡς σὸ λέγεις p. 3 D, p. 4 E, p. 10 D)]. Quapropter extirpandae sunt ex animis vestris falsae illae de diis opiniones ac prorsus exterminandae, si ad veram pietatem pervenire vultis. Nam quae pietas falsis nititur de diis opinionibus, ipsa falsa sit necesse est. Quam vere haec Socrates disputet, quis est, quin intelligat? Hoc enim dubitari nequit, quin, quo purior ac verior sit dei cognitio, eo purior ac verior sit pietas, dummodo homines hujus virtutis sint cupidi ac studiosi.

Quibus expositis, quas falsas de diis opiniones Plato Socratem refutantem faciat, vidimus. Atque hoc unum hoc in dialogo Plato egisse videtur, ut falsas esse ac superstitiosas demonstraret vulgares illas opiniones; nam nusquam disertis verbis dicit, quam ipse pietatem veram esse statuat dignamque, quam homines et contemplando et agendo amplectantur. Nihilo tamen minus liceat paucis exquirere et examinare, quid ipse Plato de pietatis notione ac specie sensisse videatur. Neque difficile erit haec disserere, si lepore, quo, quae ipse sentiat, dissimulare videtur, sublato ipsum Socratem intueri ausi erimus contraria sentientem; nec quidquam aliud nobis faciendum videtur, quam ut, quae singula hucusque copiosius explanavimus, ea breviter comprehendamus et in uno conspectu ponamus.

Hoc autem ante omnia postulat, ut et boni dii ac sancti esse et iidem, quid sit honestum, quid turpe, prorsus inter se consentire credantur; quod utrumque Euthyphro aliter statuit p. 6 A—C, p. 7 D — 8 E. Quod Plato hoc in dialogo tecte atque obscure indicat, planissime atque apertissime in aliis exponit, ex quibus hos duos locos laudamus. *Τὸ θεῖον καλὸν, σοφὸν, ἀγαθὸν καὶ πᾶν ὃ τι τοιοῦτον* Phaedr. p. 246. *Ἀγαθὸς ὁ θεὸς καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον, τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἅττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἷτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν* de Repl. II. p. 379. Imitandos autem esse deos hominibus adeo per se intelligitur, ut nemo unquam fuerit, qui in dubitationem vocaret. Hac de re et Euthyphro (p. 6 A) et Socrates inter se consentiunt. Ex Platonis reliquis dialogis illum Theaeteti praeclarissimum locum afferre liceat, quo Socrates ita verba facit: *Οὐτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατόν, ὡ θεόδωρε· ὑπεναντίον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ αἰεὶ εἶναι ἀνάγκη οὐτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἰδρύσθαι, τὴν δὲ θνητὴν φύσιν καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης. διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένθε ἐκείσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν ὁμοίωσις δὲ δίχαιον καὶ ὄσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.* Theaet. p. 176 AB. Ergo si quis bonos ac sanctos esse deos sibi persuasit, in eorum bonitate ac sanctitate imitanda ei omni virium contentione elaborandum est. Sed